



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

22. An executor omittens consilium faciat executionem irritam? Idem est de aliis, actibus, in quibus mandatur petere consilium. Et notatur, quod in euentibus, in quibus testator ad res dubias, quæ ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

talibus facultatis petende, & obtinende imposuisse, quando semel iam petita, & obtenta, tunc negatur, aut reuocatur, quando iniustum est negare, & reuocare. Nec censetur ius Canonicum Religioso præcipere, vt dimittat opus, ad quod spectata rei natura, & seclusa prohibitione iuris, tenebatur ex iustitia. Proculdubio autem teneatur quicumque testamentarius, qui sine iusta causa munus semel ritè susceptum cum damno aliorum, quorum interest, omittit. Ergo quamuis Superior particularis eam facultatem denegat, aut reuocet, non censetur subditus contrauenire iuri Canonico, quod pro eo casu non censetur præcipere, vt sine facultate non faciat. Ita Dicastillus.

4. Sed non videtur recedendum à communi sententia. Dico igitur licentiam Religioso concessam Superiorem reuocare posse, etiam re non integra, taliter quòd Monachus executor, seu commissarius ulterius progredi non possit; quamuis Prælatus absque iusta & rationabili causa, iniuste id facere dicatur: gloss. *verb. obtenta, in dicta Clement. vnic.* vbi Panormit. n. 3. *vers. Superior*, Imola n. 8. Angelus Clauasius, in *Sum. verb. executor. n. 21.* & (his non relatis) Siluest. *verb. testamentum. 2. n. 2. vers. secundum*, Molina *dict. disp. 247.* Vega in *Sum. 2. tom. c. 114. casu 6.* vbi refert Tabien. *verb. executor. n. 19.* Armillam *ead. verb. num. 15.* sequitur Emanuel Rodrig. 3. *reg. quæst. 9. 70. art. 1. ad fin. vers. aduertendum*, Th. Sanchez, *de Matr. l. 3. disp. 36. n. 9.* Ex ratione ab eo tradita, quòd licentia est merè gratuita, omninoque dependens à voluntate concedentis; & idè ad libitum reuocari posse; sed in nostro casu ea præcipua est, quòd Monachus non habet vel le, nec nolle sine Superioris licentia: ex *d. c. fin. & de Clem. vnic. & cap. si Religiosus, de elect. in 6.* quæ deficit eius reuocatione, & consequenter voluntas, & consensus Monachi ad actum perficiendum. Et tunc eius Collega executionem, seu commissionem vltimæ voluntatis, ad effectum perducere poterit, & altero mortuo, vel negligenti, seu non nominato, Episcopus: ex *dict. gloss. & Doctoribus proxime adductis*, Ancharrano, *dict. c. final. n. 2.* Ad hoc autem, vt factum per Monachum firmitatem non obtineat, reuocatio Superioris ei intimanda erit, ex *l. ff. forè 17. ff. de officio Proconsulis* vbi gloss. *verb. agnouerit*, Boerius, Bertachinus, Rebuffus, Rolandus, Bartolus, Flaminius, quos refert & sequitur Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. d. 30. num. 11. & 13.*

## RESOL. XX.

An in consilio dando pro executione testamenti sit petenda licentia à Superiore?

Et an quoad electionem pauperum sint obligati Religiosi petere licentiam à Superiore? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 18.

Sup. hoc supra in ref. 15. 16. §. 2.

§. 1. **R**espondeo, quòd cum testator non astrinxit executores ad sequendum Religiosi consilium, sed solum ad illud petendum, credo nullo modo Religiosum indigere ea licentia quia nullibi Religiosis dare consilium in executione testamentorum interdicitur, sed potius vt quid conueniens Religioni, approbatur etiam in fratribus Minoribus; *Clem. Exiui de verb. signif. §. proinde.* & ita tradit Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 1. c. 11. q. 1.* Sanchez, *l. 6. Sum. c. 11. n. 29.* Et ita etiam docet Castrus Palasus, *3. tr. 16. disp. 4. punct. 13.* §. 1. n. 13. & n. 14. loquitur etiam de Franciscanis; licet quoad electionem pauperum esse obligatos Religiosos petere licentiam à Superiore docet Dicastillus, *l. 3. tr. 19. disp. 3. dub. 10. num. 99.* Quia quamuis talis electio non sit proprie munus executoris, est quadam pars illius, vt idem Sanchez docet *num. 34.* cum aliis, quos refert contra Lambertinum, *de iure Patronat. l. 2. part. 1. q. 2. art. 11. n. vlt.* qui putat nullam requiri licentiam Superioris, rectius tamen docet Sanchez,

Sup. hoc supra in Ref. §. vi. & in alio vers. eius not.

non solum in Franciscanis, sed in quibuscumque aliis Religiosis requiri Superioris facultatem ad eam electionem & potiori ratione ad pecunias inter pauperes iussu testatoris distribuendas, tum quia omnibus Religiosis interdicitur est testamenta absque Superioris licentia exequi: tum quia Monachus nihil potest agere absque Abbatis licentia. Ergo, &c.

## RESOL. XXI.

Ad quid teneantur Executores, quando præcipitur eis petere consilium à Religiosis vel ab alio? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 19.

§. 1. **R**espondeo, quòd in tali casu aliqua sunt obseruanda. *Primum*, quòd licet executor, seu Commissarius, tunc etiam consilium sequi non astringatur, tamen illud petere, & per aliquod tempus expectare illud teneatur. Lambertinus *d. art. 8. quæst. quæstioni principalis libri secundi.* Molina *dict. n. 37.* Th. Sanchez, *d. num. 24. vers. obseruandum*, vbi refert Gloss. *verb. consensus, in cap. cum consuetudinis, de consuet. Hostiensium, & alios.*

2. *Secundum*, quòd si Monachus, cuius consilium fuit appositum, sit absens, & periculum est in executione vltimæ voluntatis, si expectaretur, actus ad effectum perducere poterit absque requisitione consilij gloss. *verb. Diocesanus, in Clem. 1. de foro comper. Lambert. vbi supra*, Bartolus relatus à Tiraquello post leges conubiales, *gloss. 8. n. 16.* per textum, in *l. si longius. §. 1. ibi, nedom pater expectatur ff. de iudiciis*, quos Meres & Gratian. referunt, & sequitur Thom. Sanchez, *disp. 34. num. 24.* sequitur etiam Morla *in empor. iur. 1. part. tit. 12. q. 10. num. 3.* Quibus in locis non refertur Molin. *d. c. 13. n. 39.* vbi cum temperamento hoc intelligit, dum tamen ne temerè ex quacumque periculi suspitione, & quæ facile amoueri possit, consilium non requiratur, vt à prædicta communi opinione haudquam recedatur.

3. *Tertium*, quòd si ille, cuius consilium requiritur, decefferit, non ex hoc dispositio & executio euanciscit, ex *Mantica, de coniecturis vlt. vol. l. 1. tit. 17. n. 11. vers. sed ego considero*: Th. Sanchez, *d. disp. 34. n. 27.* Tunc etiam, quia quoties ex verisimili testatoris mente colligitur voluisse suam voluntatem ad effectum perducere, dispositio firma remanet, etiam si deficiat ille, cuius consilio aliquid exequendum erat, vt cum iudicio pendit Molina *l. 2. de primogeniis, dist. c. 13. n. 41.*

4. Quod idem dicendum erit in nostro casu, cum ex subiecta materia, iuris, & testatoris dispositione executio vltimæ voluntatis perficienda sit, vel per Executores, & Commissarios, vel subsidiarie per Ordinarium. Et hæc omnia docet Carpius *de execut. testament. lib. 1. c. 5. n. 57. & seq.*

## RESOL. XXII.

An executor omittens consilium faciat executionem irritam?

Idem est de aliis actibus, in quibus mandatur petere consilium.

Et notatur, quòd in euentibus, in quibus testator ad res dubias, quæ ex operatione conscientia concernunt, reneatur consilium petere & post consultationem illud sequi?

Idem est de Testamentario, aut Commissario, si casu dubius se obtulerit. Ex p. 8. tr. 5. Ref. 20.

§. 1. **A**d hoc dubium responderet VVadingus *tract. de contrah. disp. 4. dub. 13. §. 2. num. 4. vbi sic ait.* Dico

Dico omittens consilium petere etiam à Fratre Minore, facit executionem irritam, & idem est in aliis actibus, in quibus mandabatur peti consilium, ita additio ad gloss. *cap. non est, consuetud. in 6. Felin. in cap. ex parte, de consil. num. 1.* ubi dicit omnes ita sentire. Sanchez de *præcep. l. 6. c. 11. n. 35. & 36.* & generalem facit regulam Panormit. *c. ad Apostolicam, cit. & g. 4.* quæ incipit, *Angerio, nu. 6.* quando iubetur fieri cum consilio, omisso illius facit actum esse irritum. Et ratio est, quia lex, vel testator (vt ante nouimus) in dispositione sua cum decernit petendum consilium, facit petitionem consilij esse formam actus, & proinde præmissio illius facit actum irritum, vt ex Matienzo argumentatur Sanchez, *sup.* nec censenda est leuis solemnitas, cum ille qui dat consilium, si prudens sit, & bene fundatus possit euertere totam substantiam dispositionis, quam executor antè conceperat, & mutare in longè meliorem, quod maximè optauit testator, vt ante dictum est. Ita VVadingus, cui addè Dicastillum, *de Iustit. lib. 2. tract. 10. disp. 1. dub. 10. num. 100.*

2. Notandum est etiam hîc obiter quòd in his euentibus, in quibus testator ad res dubias, quæ exonerationem conscientie, & salutem æternam concernunt, tenetur consilium petere (provt ex pluribus sacre Paginae locis astruit P. Gregor. Martinez ad D. Thom. *2. 2. q. 19. art. 6. dub. 5. concl. 11.*) & post consultationem illud sequi: alias frustra teneretur assumere, ex dictis à Martinez, *suprà conclus. 12.* similiter Commissarius ad exonerationem conscientie & salutem animæ testatoris, si casus dubius sese obtulerit, tenetur viros doctos consulere, eorûmq; consilium sequi, cum ad id à testatore fuerit iniunctum.

RESOL. XXIII.

An Executor, qui iussus est petere consilium, teneatur illud sequi?

Et docetur, quando Executor teneatur consilium petere, & sequi, vel non sequi, & quando in dicto casu valeant actus gesti, si aliter fiant.

Et doctrina huius Resolutionis inferuiet ad solutionem plurimorum casuum. Ex parte 8. tractat. 5. Resolutione 33.

§. 1. Respondent communiter, regulariter loquendo, non teneri, quia vt dicitur *1. q. 14. c. 14. q. 1. Can. fin.* ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi præceptum, necessitas est seruientis, & satis insinuat, *c. cum olim, de arbitris, & in c. cum in veteri de electi.* ubi fusè Panormit. Riminaldus *reperit. in c. primam. de offic. deleg. num. 5.* & Alij. Aliquando tamen ex circumstantiis colligi potest iussum petere consilium, iuberi simul sequi, vt si ille, cui mandatur consilium requirere, non polleat sufficienti iudicio ad rem gerendam, vel saltem non sufficienti doctrina: vt quando iuuenis iubetur facere de consilio viri prudentis, aut index qui præsumitur non esse peritus iuris, iubetur indicare cum consilio Iurisconsulti censetur mandatum, vt sequatur; si verò in testamento scribatur exequatur cum consilio & consensu, vel autoritate talis, tunc & consilium debet petere, & expectare consensum, vt docent omnes; plurimos citat & sequitur Tiraq. *de legat. commub. gloss. quod etiam docet VVadingus, tractat. de contract. disp. 4. dub. 13. §. 2. num. 2.*

2. Hinc Fagundes *de contract. l. 6. c. 5. n. 6.* sic ait. Notabis quintò, solere sæpè testatores in suis testamentis disponere, vt executor aut testamentarius dispendar certam summam pecunie, aut executioni præ-

dictum testamentum mandet, vel tale aut tale faciat, de consilio, cum consilio, aut secundum consilium certi Religiosi, quem in suo testamento nominat, quod valde animaduertendum est: nam si dicat, quòd id exequatur de consilio, aut cum consilio illius; tunc quidem huiusmodi executor tenetur solum consilium ab eo petere, non tamen sequi, & valent gesta, si illud non petat, licet possit propter id puniri: si verò dicat, secundum consilium, aut iuxta consilium illius, tunc plane tenetur, non solum petere, sed etiam sequi, & non valent actus gesti, si aliter fiant. Quoad primum casum constat etiam ex *c. dilectum 2. de præbendis, & ex gloss. singulari, in Clement. 1. de iure patronat.* Quoad secundum deducitur ex *c. si Capitulo, de concess. præbend. l. 6.* ubi dicitur quòd si Papa mandet Canonicis, alioquin potestatem habentibus beneficium conferendi, vt illud conferant, secundum consilium dati executoris, quem nominat, non valere collationem, si sine consilio talis executoris conferant, quia per ea verba transfunditur potestas conferendi in executorem, quod notandum est; inseruiet enim hæc doctrina ad resolutionem plurimorum casuum. Vide etiam Molinam *de Iust. tom. 1. disp. 207.* Sanchez *de matrim. tom. 1. l. 1. disp. 34. n. 22.* & alios penes ipsos. Et de hac quaestione etiam *suprà* aliquid actum est.

RESOL. XXIV.

An Religiosus semel petita, & obienta facultate à Superiore acceptandi munus Executoris, possit cogi ad acceptandum? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 21.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet Sanchez in *Sum. tom. 2. l. 6. c. 11. n. 3.* ex auctoritate *c. quidam, de renunciat.* ubi qui petiit licentiam renunciandi, cogitur mutata voluntate renunciare. Nec mirum est (inquit Sanchez) diuersum esse in aliis executoribus testamentorum secularibus, qui compelli nequeunt, nisi priùs tacite, vel expresse acceptauerint *c. penult. de test.* quia cum hi nulla licentia ad acceptandum indigeant, nihil prorsus ad executionem pertinet agunt ante eius acceptationem. Religiosi verò, cum licentia indigeant, eo ipso quòd illam petierunt, iam aliquid ad executionem pertinens egisse videntur. Et idèd compelli possunt exequi, quasi id sit quoddam acceptationis genus. Pro qua doctrina refert Sanch. Cardinalem in *Clem. unic. n. 11. c. 4. de testamentis, & ibi Paulum, & Imolam, & Bonifacium.*

2. Sed hæc doctrina omninò non placet docto Patri Dicastillo *de Iust. l. 2. tract. 10. disp. 3. dub. 10. n. 132.* fateetur in primis cum eodem Sanchez, *num. 13.* si Religioso non petente Superior absque vilo præcepto licentiam concederet, compelli nequit acceptare eam licentiam, nec id munus, quia res est omninò integra. Tota ergo difficultas est, quando eam licentiam, vel acceptaret oblata, vel obtineret petitam. Et in hoc casu adhuc certum puto, si licentia, vel oblata, vel petita, & obienta esset generalis pro casibus occurrentibus, etiam tunc non posse cogi acceptare. Nihil enim censetur fecisse in ordine ad hanc aut illam occasionem, quæ postea sese offert, sed solum per illam facultatem se constituit in statu capaci, neque in hoc video esse difficultatem. Solum ergo esse potest difficultas, quando pro casu particulari acceptat oblata, vel obtinet petitam. Atque in hoc etiam casu dupliciter potest peti, & acceptari. *Primò*, vt agendo cum alijs, & dispiciendo negotium, pensatis omnibus possit deliberare, an sibi expediat munusmitteret, vel non. Quod si iudicet expedire, possit acceptare; & quidem, neque in hoc casu existimo posse cogi, neque aliquid

Supra in ref. quæ hic est. antecedens, & pro parte. huius quæst. in ref. not. præc.